



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt XXIII. An, & quam in se esse humilitatis caussam innocentes, viri docti, iusti, pij, Sancti, Deipara, & adeò Christus ipse Dei Filius, deniq[ue] superiores ratione inferiorum, iudicare & dicere ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

S. Bern.  
ferm. 2. de  
Ascensio-  
ne.

modestia, vt eam gloriosis, ac se se affi-  
mantibus anteponant; cur non idem faciat  
iustissimus rerum arbiter Deus? apud quem,  
teste S. Bernardo, *Sola est humilitas, qua exal-  
tatur, sola qua ducit ad vitam. Hec via, non est  
alia prater ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius,  
quàm ascendit. O peruersitas! ô abusus filiorum  
Adam! quia cum ascendere difficillimum sit,  
descendere autem facillimum, ipsi & leuiter af-  
cendunt, & descendunt difficilius; parati ad  
honores, ad celsitudines graduum Ecclesiastico-  
rum, ipsis etiam Angelicis humeris formidan-  
das. Adsequendum autem te, Domine IESU,  
vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur, qui  
duci velint per vias mandatorum tuorum.*

### C A P V T XXIII.

*An, & quam in se esse humilitatis causam  
innocentes, viri docti, iusti, pij, Sancti,  
Deipara, & adeò Christus ipse Dei Filius,  
deniq; superiores ratione inferiorum,  
iudicare & dicere possint?*

§. I.

*Quantò quisq; in terris maior, tantò se debet  
magis humiliare.*

**V**ult Deus omnes mortales humiles esse.  
Sic iubet: sic fauet. Nec enim tantum  
superbis

*superbis resistit, sed etiam humilibus dat gratiam, ut minis terreat, præmijs alliciat. Im-* Iac. 4. 6.  
*mò à maioribus maiorem exigit humilitatem. Quanto magnus es, ait, humilia te in om-* Eccli. 3i  
*nibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam* 20.  
*magna potentia Dei solius, & ab humilibus ho-*  
*noratur; à superbis impugnatur. Qui cur-*  
*placerent Deo, cum fastus omnis faciat ho-*  
*mines etiam hominibus fastidiosos? Pleraq;*  
*animalia cum parua sunt gratiosa sunt: vi-*  
*lescunt, quando grandescunt. Cum paruulus* 1. Reg. 15.  
*esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus* 16.  
*es, dicitur ad regem à Samuele; & subditur;*  
*pro eo, quòd abiiecisti sermonem Domini, abiicit*  
*te Dominus, ne sis rex. Adeò humiles de ster-*  
*core eleuat, & elatos de folio præcipitat;*  
*neque quisquam, ad cælestis gloriæ peruenit*  
*sublimitatem, qui se in hac vita non humi-*  
*liauit. Et verò etiam quo quisque, coram*  
*Deo, maior fuit, eò se se magis facto ipso*  
*demisit. In regem iam vnctus erat Dauid, &* 1. Reg. 17.  
*tamen cibos fratribus, in castra portare* 17.  
*non recusauit. Quantus erat Franciscus?*  
*quantæ innocentia? quantorum operum,*  
*bonorū? quantæ sanctitatis, quantorum*  
*miraculorum patrator? & tamen hic tan-*  
*tus, quàm humilis fuit? Vt alios taceam,*  
sanctos

sanctos, qui, cum Abrahamo, in terram prostrati dicere semper solebant oraturi:

Gen. 18.  
27.

*Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis?* Ipsa Dei Mater, super Angelos ex-

Luc. 1. 38.

altanda, nonne se se *Ancillam Domini* vocabat? cuius, teste S. Bernardo, ne virginitas quidem placuisset, si caruisset humilitate.

S. II.

*Christus à se humilitatem disci volens, an humilitatem simulavit?*

Ipse Christus de se ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nempe quia Magister erat virtutum, etiam humilitatem nos voluit docere; nec verbo tantum, sed exemplo quoque, quæ est efficacissima ratio docendi. Vnde non ait dumtaxat: *Discite*, sed addit: *à me*, à dictis, à factis, ab exemplo meo. *Nam exemplum dedi vobis*, non tunc modò, quando discipulorum ac vilium piscatorum pedes laui; sed in omni vita etiam reliqua. Nec sanè etiam hoc ipsum dicere potuisset, nisi in summo gradu stetisset humilitatis. Si enim alius diceret: *Discite à me, quia mitis, quia humilis sum*; arrogans haberetur; quia humilis, non humilem, sed vilem se se reputat: & contemnitur ab alijs

Matth. 11.  
29.

alijs, qui se alijs proponit imitandum. Dum enim proponit, præponit. At Seruator ita excellit in sui ipsius abiectioe, vt neque cum se ipsum alijs proponeret in virtutis exemplum, quidquam vanitatis animo potuerit persentiscere; sed verè simul esset, quod diceret, hoc est, *humilis corde*: non ore tantum, vt quidam, qui se ipsos verbis deprimunt, vt alios ad refutandum, & laudandum inuitent. Si enim alios id, quod de se ipsi pronuntiant, credere, aut etiam suo iudicio testimonioque confirmare animaduertant, in quantas non impatientias erumpunt? quantas non ferunt exostulationes? denique, quasi ouum putidum freris, ita foetent, rupta testa, atque vlcere patefacto. Non sic Christus: nihil ille simulatè agit. Veritas est, verè dicit, quidquid dicit. Est ergo humilis corde, cum dicit se *humilem corde*. At cum nos quoque vult humiles esse, vult itidem id, quod sumus, hoc est, vilitatem nostram profiteri. Quam quia non agnoscimus, ex corde humiles non sumus, donec agnoscamus. Plerumque enim potiùs Pharisaum imitamur, alterius vitia acutissimis oculis intuentes, nostra ignorantes; quàm Publicanum, qui suum non alie-

num

S. Bern.  
ser. 2. in  
capite ie-  
iunij.

num pectus percussit. Cogitamus, inquam, nos non esse Ethnicos, non hæreticos, non adulteros, non homicidas; quasi non aliud sit, ob quod vel sanctissimi se se possint humiliare. Hoc igitur, *Discite à me*, ait Christus. Vnde meritò D. Bernardus scribit: *Quid tu inflaris, ò homo, quid extolleris sine causa? quid altèr sapias, & oculi tui omne sublimem vident? Sublimis quidem Dominus: sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non etià imitabilis: humiliare, & apprehendisti.* Hinc ergo quæstio nascitur, & multos sollicitat in vita spirituali parum versatos: cum Humilitatis virtus in vili sui æstimatione versetur; quo modo verum esse potuerit, in Christo, tale iudicium vilitatis? adeo que, quomodo verè *humilis corde* esse potuerit? Ille innocens in omni vita, ille morum Magister; ille fons sanctitatis; ille homo Deus, sapientia diuina, Verbum increatum; cuius etiam caro diuinæ hypostaseos vnione Deificata, qua veritate potuit se vilipendere? Atq; hæc quæstio, cum certa proportione, potest etiam ad Deiparam, & ad reliquos Sanctos, immò & ad eruditos, aut in quacumque re, vt in gubernatione hominum, militia &c. excellentes, extendi.

tendi. Si enim scapha scapha debet appellari, quo modo doctus se se habere potest pro indocto? pius pro impio? amicus Dei pro hoste Dei? aut quid vile in se se potuit Virgo Mater ad tantam dignitatem euecta reperire? Peccatores sanè infinitas habent sese vilipendendi causas: iustus autem nonne mentitur, cum se se vocat peccatorem? doctus, cum se pro rudi habet? pius cum impium appellat? Quæ hîc veritas? quæ diuini iudicij humilitatem nostram exigentis æquitas? *Audiens sapiens sapientior erit.*

Prouerb:  
1. 5.

§. III.

*Cuius rei cognitio humiles efficiat?*

Igitur ad Christum, æquè verum Deum ac verum veracemq; hominem, quod attinet; verè is *humilis corde* fuit, nihil, quod non esset, sibi excogitans, aut simulatoriè affingens. Et sanè humilitas ex vilitatis suæ cognitione oritur, quæ cognitio, quò maior est, eò maior existit & humilitas. Itaque etiam Seruator noster, ( non quòd in ipso aliquid fuerit vilius, quàm in vlla creatura, sed quòd cognitio cuiuscumque exinanitionis, in eo, maioris causa fuerit demissionis ) quòd perfectiùs se ipsum, quàm hominem ex nihilo productum nouit, eò se se demisit

I i

pro-

profundiùs. Post eum, Sapientissima illius Mater, Dei suiq; cognitione ditissime illuminata, non superbiendi, sed quàm demissimè humiliandi se se caussam sumpsit. Alij post hanc Sancti, immò & plurimi viri eruditi, quò ferè maius lumen aut diuinum, aut naturale, eò & maiorem humilitatem habuerunt. Et non rarò hodie quoq; minimus quisque maximi se se, & maximus minimi facere consuevit. Hinc vel oraculo sapientissimi iudicati Socratis dictum est: *illud unum se scire, quòd nihil sciat.* & Christi sapiens Paulus *omnium peripsema, minimum*

1. Cor. 4. *Apostolorum, & qui non sit dignus vocari Apostolus, se appellauit.* Hinc profundissima  
13.  
1. Cor. 15. Ephreæmi, Basilij, Gregorij, Augustini,  
9. Bernardi, D. Thomæ, aliorumq; humilitas. Longè enim clariùs conspexerunt nihili sui, ex quo creati prodierunt, vilitatem.

## §. IV.

*Christi, aliorumq; summa humilitas, ex summa Nihili sui agnitione.*

In vita Leonardi Lessij edita à Thoma Courteis c. 13. §. 67, Nimirum *nascebatur ea virtus, vt de quadam humili non vulgariter docto viro legimus, ex sublimi scientia, non eà, qua caterorum prudens, ignorans sui, mentem inflat, sed eà, qua aliorum conscia, & sui ipsius gnara am-*



num componit. Vt erat sui ipsius contemplationi apprimè deditus, suum nihil non secus, quàm si oculus subiectum illud cerneret, clarè spectabat, quod, cùm ex re, seu naturâ suâ nihil esset, nihil quoque ex se operari posset. Videbat illud suum nihil, à Deo in esse aliquid eductum; sed, illud aliquid in nihilum nativa inclinatione perpetuò contendere, nisi benefico, potenti, & assiduo Dei influxu contineretur, à quo dependeret ampliùs, quàm pondus in aère pendulum à manu librantis; & à sigillo fluxa aqua impressa forma, in quibus si vel manum, vel sigillum subducis, deorsum pondus, & informis fluit aqua. Dicebat ex hac ipsa consideratione, sanctissimam Christi animam infinita quadam submissione, præ cæteris creaturis, Deo supplicem sese sternere; à quo suum esse conseruari, & diuinâ personâ continuò ornari intelligeret, cuius benefica operatio si vel temporis momento suspensa foret, ipsa anima in primum suum nihil laberetur. Solebat Placilla Theodosium Imperatorem maritum admonere, vt olim se priuatum hominem fuisse cogitaret: & præ cæteris ad Romanæ Reip. gubernacula assumptum, non vt superbiret, sed vt HOMINEM se esse cogitans, varijs fragilitatibus non minùs, quàm subditi, obnoxium, ritè

Niceph.  
Callistus  
l. 12. c. 425

gubernaret Imperium, tamquam Dei seruus. Diuina Sapiencia Christo identidem dictabat, illum etsi Creatorem, quà Filius erat Dei, tamen quà Filius hominis fuerat, esse creaturam, adeoque secundùm hanc naturam, olim nihil fuisse, & , præ ceteris omnibus assumptum, vt Deus esset: potuisse etiam non assumi. Quod vt assidue cogitaret, solebat se identidem *Filium hominis* vocitare; qui vtique, subducta Dei manu, cum omnibus donis creatis rursus in nihilum suum abiret, vnde à Deo fuerat productus. Hoc iudicare, nonne verum fuit? At fuit verissima & Christo, & Matri Christi, & omnibus Sanctis, immò & omnibus Angelis; & esset omnibus quoque reliquis creaturis (si virtutis capaces forent, atq; hanc suam à Deo dependentiam intelligere possent) maxima se se, coram diuino conspectu, dimittendi causa. Quam qui plenius penitusq; nouit, penitus etiam pleniusq; sese Conditori suo submittit. Hinc ergo fit, vt quo quisque est sapientior, eò sit & humilior; sicut & stultissimi, & nullam dependentiam agnoscetes superbissimè se se solent efferre, itaque gerere, ac si à se ipsis essent, atque à nullo dependerent. Quia igitur alij Sancti alijs  
maius

maius quoddam lumen à Deo acceperunt, & Virgo Dei parens sapientiâ diuinâ maxime excelluit; ipse autem Dei Filius increata cognitione, scientia infusa & acquisita, sapientiâq; ceteros mortales, immò & Angelos omnes, sine comparatione antecessit, tantò perspiciaciùs intellexit, animâ suam, & corpus suum illico in nihilum reditura, si Deus vellet, cuius beneficio tot donis gratijsq; decorabantur. Tantò igitur magis se se prostravit, ante diuinam Maiestatem. Quod & alij facerent impensius, si nihilum suum sapius diligentiusq; ante mentis oculos collocarent; & non cum pauone oculatas potiùs coloratasque sirmatis pennas, quàm pedes intuerentur.

§. V.

*Christi summa humilitas ex summa exinanitione.*

Sufficeret hæc caussa, ad iudicij veritatem, qua Redemptor noster sese verè *humilē* Matth. 11<sup>a</sup> corde potuit pronuntiare. Sed & alia suppe- 29' tunt. 1. Nemo; nisi *humilis corde*, de folio regio sponte descendit. Diocletianus imperium deposuit, sed non nisi agnita rerum vanitate, & fastidijs fatigatus, quod & Maximiniano quoq; collegæ, sed perquam in-

Philip, 2.  
6.

uito persuasit, vt suprà tradidimus. Nullus tamen Regum aut Imperatorum seruilium habitum induit, vt seruum suum posset ad thronum regium extollere. Atqui Christus, *cùm in forma Dei esset*, nullo utiq; regnandi tædio affectus, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, quando seipsum vsque ad naturæ humanæ vilitatem infirmitatemq; demisit; vt seruos suos ad regnum eueheret. Discite hoc à Christo diuites, discite pauperes: diuites, qui nullam pati, nullam audire potestis humiliationem; pauperes, qui & ipsi sorte vestra non contenti, in contumelia purpuram cogitatis. Discite vos, Satrapæ, è summo demittere, & posita maiestate, officia etiam minùs splendida suscipere, tractareq; negotia vobis subiectorum. Discite descendere, qui nullum supra vos vultis pati.

§. VI.

*Christi maxima humilitas, ex habitatione, operatione, & vestitu agnoscenda.*

2. Nemo, nisi *humilis corde*, si sit felix, amat ærumnas; nemo quieti præfert laborem; nemo delicijs dolorem; diuitijs paupertatem; nemo palatijs mapalia; titulis grandibus ignobilitatem; honoribus de-  
spectata

spectum anteponit. Christus, cum esset *in* Ioan. 1. 18.  
*sinu Patris*, è cælesti patria, in Galilæam, re-  
 gionem tunc temporis contemptissimam,  
 atq; ad miseras nostras descendit, *in labo-* Psal. 87.  
*ribus à iuuentute fuit*; de paupere Parente, 16.  
 in paupere casa, nasci, in præsepio reponi, cum  
 humilibus conuersari voluit; neque se  
*regem* creari à populo passus est; sed cum  
 esset Dei Filius, *fabri filius* appellatus, animo Ioan. 6. 15.  
 æquissimo sustinuit. Numquid igitur ve- Marc. 6. 3.  
*re humilis corde* extitit? qui & nudis pedibus  
 obambulauit, & asino vectus est triumphaturus,  
 pedesque lauit discipulorum; num-  
 quid *humilis corde fuit*? Numerat Fulgosus, Fulgosus  
 inter Ludouici XI. Gallorum regis laudes, lib. 3. c. 6.  
 quòd asinum nonnumquam pro equo ad-  
 hibuerit; & cum alij reges auro sericoque  
 amicirentur, lana aut bombyce indutus fu-  
 erit. Christus nullo vmquam equo vsus,  
 veste vilissima amictus, numquid magis *hu-*  
*milis corde* fuisse censendus est? O quàm hie  
 multa sunt à nobis discenda! quæ quàm diu  
 non discimus, verè *humiles corde* non sumus.  
 At Dei Mater didicit: ast alij sancti didice-  
 runt; nec quidquam fecere contra aut suam  
 dignitatem, aut rei ipsius veritatem. Nos,  
 quò deteriores sumus, eò delicatiùs volu-

mus tractari, molliùs vestiri, sumptuosius conuiuari.

## §. VII.

*Christi immensa humilitas in iniurijs, & despectibus perferendis.*

3. Nemo, nisi *humilis corde*, contumelias, alapas, flagra, sputa, denique crucis summam infamiam potest patienter sustinere. Omnis superbus impatiens est; omnis superbus cogitat vindictas. Tametsi enim, ad tempus, dolorem corde premat, vultuq; patientiam simulet, vt patientiæ laudem captet; animo tamen Diras coquit, & execrationes. Christus infamiam, maledicta, colaphos, virgas, flagella, foedissima militum phlegmata in diuinā faciem proiecta, ipsum patibulū, & mortem cum latronum morte communē, æquissimo animo tolerauit, numquid ergo *humilis corde* fuit? Et verò tunc de quali vindicta cogitauit? orauit pro crucifixoribus; atq; vt eos excusaret, nescire eos dixit, quid facerent. Quòd si vis altiozem humilitatis gradum; tam parui æstimat atrocissimas sibi iniurias ab hominibus illatas, vt, cum eas posset æternis ignibus vindicare, ad vnum gemitum peccatoris, illico etiam sexcentas remittat. Putas,

nullum

Luc. 23.  
34.

nullum superesse altiore gradum humilitatis? Superest. Nam non solum facilis est noster IESVS, ad omnes iniurias etiam infinitas, & infinite quodammodo acerbis ac malitiosis in se perpetratis ex animo remittendas; sed etiam paratus est ex ijs, quibus ex animo dolentibus veniamque postulanti- bus millies & millies, & centies millies relabentibus, & enormissime delinquentibus omnia condonavit, si denuò cadant, & denuò resipiscant, denuò stolam pristinam reddere, gratiam & gloriam impertiri, eosque in filios suos, & regni cælestis hæredes adoptare. Quid quòd ipsos adhuc eiusmodi hostes, & tam contumaces inimicos suos, admirabili prorsus & incomprehensibili maiestatis suæ demissione, insignique, immò immensa patientiæ & bonitatis demonstratione, varijs vijs & modis, per internos S. Spiritus instinctus, per Angelos, per concionatores, per spirituales Patres, per exempla piorum, per morbos, & terrores, per beneficia, per minas & blanditias reuocat, ut vel tandem oculos aperientibus, & ad frugem redire volentibus possit veniam indulgere; & quantumuis à se auersis pœnam vindictamque æternam, vel omnino expungere,

gere, vel saltem in temporalem conuertere? Quid, quòd lædentibus, dum lædunt, beneficia refundit? Nonne Longino, dum lancea latus eius aperuit, aperuit oculos, ut videret, in quem transfigeret? Miranda pietas. dum fauciatur, sanat; & quòd hasta subit, inde sanguis & aqua exit in medicinam. Nonne hoc est esse verè *humilem corde*? Hæc omnes & nos humiliandi rationes haberemus, si à Christo discere vellemus, *quia mitis est, & humilis corde*. Potuit Christus, potuit B. Dei Mater, potuit Stephanus, & alij Sancti se se vilipendere, & his modis omnibus humiliare? Cur nos non possemus? immò cur non deberemus?

## §. VIII.

*Christus, etsi peccare non potuit, tamen, ut peccator, immò tamquam latro passus, quantum hominibus peccatoribus dederit exemplum humilitatis?*

At Sancti in infimo quoque loco, atque, etiam infra ipsos peccatores, se se demisere? Christus id sanè non potuit, quia impeccabilis fuit. Deus enim erat, qui secundùm diuinam naturam non potuit facere contra Deum, secundùm humanam autem naturam ipsa eum diuina hypostasis,  
cum



cum multis alijs gratijs sanctificauit, im-  
peccabilemque reddidit. Si enim Christus  
peccare potuisset, Deus ipse diceretur pec-  
cauiffe, quo nihil absurdius fingi, aut Deo  
magis aduersum potest excogitari. Nulla  
igitur veritate Christus, in corde suo, sic se  
potuit in imo loco ponere. Et tamen vt  
peccator voluit circumcidi, baptizari à Io-  
anne, flagellari, crucifigi. In imo igitur lo-  
co se posuit patiendo; non iudicando: quæ  
tanto maior est humilitas, pati quod scias,  
te non meruisse; immò nec mereri potuisse.  
Christi Mater immunis sanè ab omni actua-  
li, immò etiam ab originali peccato præfer-  
uata fuit: S. Franciscus & alij sancti, qui  
quàm innocentissimè vixerunt, verè tamen  
ea se se cogitatione iudicioque infra latro-  
nes & pessimos etiam peccatores demise-  
runt; quia non quid fecerint, sed quid fa-  
cere, & peccare potuissent, nisi à Deo eius-  
que benevolentissimâ gratia præuenti ser-  
uati que essent, cogitauerunt. Sic enim S.  
Franciscus dicere solebat, Si Deus eam, quã  
ipse acceperat, gratiam, vel desperatissimo  
in filuis, aut vijs grassanti latroni dedisset,  
meliùs ea, quàm ipse vsus sit, vsurum san-  
ctioremque longè futurum fuisse. Pari mo-  
do

Ælian.  
lib. 8.  
Variar.  
e. 15.

do Mater Christi, cum omnes sibi à Deo dotes gratiasque haberet numeratissimas, non tam cogitavit, quid cum illis, quam quid sine illis esset. Certè si Philippus Macedo, Græciæ potitus imperio, *Cum in Chæronæa fudisset Athenienses, licet fortuna euectus, tamen appetitum rationi subdidit, neque contumeliosè aut intemperanter aliquid fecit.* Quamò magis id cogitandum est de Virgine in Dei Matrem euecta? Philippus consultum esse putabat, quemdam ex pueris quotidie hoc ei manè in memoriam reuocare, quòd esset homo. *Quare puero delegavit hoc officium, neq; ipse prodibat antea, sicut fertur: neq; quisquam, qui eum conuenire vellet, priùs ad eum intrabat, quàm singulis diebus puer hoc ter ei proclamasset, dicens: PHILIPPE, HOMO ES.* Hoc ipsum cogitabat Dei Mater. Hoc ipsum D. Augustinus sentiebat, è cuius sententia, nihil est, quod non faceret homo, si non custodiret eum is, à quo factus est omnis homo. Hac cogitatione Cæsarum refrænauit fastum Magnus Antonius. Teste enim Sigonio, Constantinus Magnus Augustus, & filij eius Constantius & Constans Cæsares magnitudine virtutis ac sanctitatis Antonij monachi Ægyptij audita, multis eum litteris ad

Card. Sigon.  
lib. 4.  
Imp. oc-  
cid.

ad rescribendum prouocârunt. Quibus ille acceptis, haudquaquam elatus, conuocatos Monachos ita est allocutus: *Reges seculi litteras ad nos scripserunt. Verùm, quid Christianis hoc astimandum? Nam licet diuersa sit dignitas, tamen eadem est nascendi moriendiq; condicio. Illa sunt nobis magnificienda, quòd Deus hominibus legem scripserit, & quòd per Filium suum Ecclesias proprijs eloquijs exornauit. Quid Monachus rationis habet cum regibus? cur ego litteras eorum accipiam, quibus solita reddere salutationis officia nesciam? Monentibus autem fratribus, videndum esse, ne ille silentio suo animos regum aduersus se irritaret, rescripsit laudans eos primùm, quòd Christum colerent: deinde monens, ne regiae potestati tantum tribuerent, vt praesentis imperio carnis inflati **Sz HOMINES ESSE**, & à Christo iudicandos fore, obliuiscerentur, & vt clementiae ac iustitiae erga subditos inseruirent. Quarum ex litterarum lectione summam principes cum utilitate voluptatem ceperunt. Et voluptatem, & fructum nos capiemus, si addiscamus non intumescere, quando nobis Principes aut scribunt, aut loquuntur, homines enim sunt, quorum alloquia utiq; non  
tanti*

tanti sunt facienda, quanti sermo Dei, nos per leges suas, perq; omnes sacras litteras alloquentis, vnde tamen non insolescimus. Sed illud in primis emolumentum & maximis & minimis affert, si se HOMINES ESSE non obliuiscantur. Quisquis enim hoc meminit, magnas habet caussas suæ demissionis. Quas habuit & Mater Dei, quæ etsi non peccauit, *gratia plena*, tamen, sine gratia, & ipsa peccauisset; &, tamquam homo, delinquendo infimum locum mereri potuisset.

## §. IX.

*Præter Christum, & eius Matrem, omnes homines, tamquam peccatores, se se posse humiliare.*

Extra Christum & Matrem Christi, omnes iusti etiam de peccati conscientia se se possunt humiliare. Nam & *septies in die cadet iustus*; &, si quando non cadit, tamen cecidit aliquando. Quis enim sine peccato est? immò, *si dixerimus, quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis*. Quòd si S. Ioan. Baptista, & fortè etiam alius quispiam in vtero matris no sanctificatus est, saltem dicere potest, *Psal. 50. 7: in peccatis concepit me mater mea*, atque ita ob peccatum originis cogitare, se fuisse aliquando

Prou. 24.  
16.

1. Ioan. 1.  
10.

Psal. 50. 7:

*in peccatis concepit me mater mea*, atque ita ob peccatum originis cogitare, se fuisse aliquando

quando filium iræ, neque semper sine macula extitisse. Adeò nihil dicit contra veritatem, quisquis se se dicit peccatorem. Fuit enim & iustus aliquando peccator, atque, ob hanc ipsam originis culpam, æternæ damnationi addicendus. Quòd si quis præterea nihil sibi conscius est, tamen non in hoc iustificatus est, quia adhuc saltem venialibus culpis subinde Deum offendit, quæ est sufficientissima causa humilitatis. Quamquam quis est, qui sciat, *utrum amore, an odio dignus sit?* aut, qui satis reputare possit, quantas habeat iniquitates ?

1. Cor. 4:

4:

Eccles. 9:

1.

§. X.

*Quanta hominibus à peccato causa sit, se se humiliandi ?*

Antigonus rex, ut ex morbo assurrexit: *Haud male, inquebat, actum est nobiscum. Commonsit enim morbus nos, ne spiritus, cum mortales simus, sustollamus.* Sic ratiocinantur & Sancti, quibus omnia cooperantur in bonum; &, cum infirmi sunt, tunc fiunt fortiores. Nam apud eos diuina manus è peccato, quod est summum malum, nouit elicere bonum humilitatis & pœnitentiæ. Hinc summus Apostolorum, assiduo fletu diluit maculam negationis. Et Doctor gentium,

Plutarch.

in Apoph.

tium,

1. Cor. 15. 9. **1. Cor. 4. 13.** tium, *minimum* se, immò *peripsēma* vocavit, & *qui Ecclesiam sit persecutus*, nec dignum, qui Apostolus vocaretur: non quòd Apostolus tunc non esset, sed quòd, ob persecutiones Christi discipulis factas, dignus non extiterit, vt in Apostolorum numerum cooptaretur. Nam qua veritate, homo terra appellatur, quia de terra factus est; eà se etiam vt peccatorem, demittit, quia se meminit peccauisse. Omne malum secum affert peccatum; hoc solùm, post illud nasci bonum potest, quòd sit maxima occasio humilitatis. Neque ficta est hæc humilitas. Vt enim verè Consularis nominatur, qui vel semel consul fuit; ita se etiam verè dicere potest, humiliareq; tamquam peccatorem, qui aliquando peccauit. Hinc illa vox Pauli: *IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Magnum hoc est despicientiæ sui fundamentum, etiam olim Delphica epigraphe insinuatum: **NOSCE TE IPSVM.** Quod Iuuenalis ait, è cælo descendisse, Tullius autem, idcirco Deo assignatum, quia maius est, quod ea continetur, quàm vt ab homine traditum videatur. Varios eius dicti authores refert Porphyrius. Clemens Alexandrinus & D. Ambro-

1. Tim. 1. 15  
 Iuuenal.  
 Satyr. 11.  
 Cic lib. 5.  
 de Finib.  
 Porphyr.  
 serm. 11

Clemens  
 Alex. 2.  
 Strom. c.  
 7. Ambr.  
 serm. 2. in

bro-

brosius putant hanc sententiam desumptam è sacris litteris, & quidem ex illis Deuteronomij verbis: *Attende tibi.* Origenes autem ex his: *Si ignoras te, egredere.*

Psal. 118.  
Deut. 4.  
Orig hom.  
mil. 2. 18  
Cant.

## §. XI.

*Quo modo doctrina excellentes se se humiliare possint?*

At verò licet peccauerit, tamen in re aliqua excellit quispiam? excellit ingenio, arte, prudentia, scientia? est bonus miles? clarus dux? acutus Philosophus? sublimis Theologus? Excelluit & Christus, & quidem infinitis modis. Sed excellentiam suam non iactavit, immò passim, vti & ipsa miracula occultavit, & Deo in acceptis retulit. Ille autem homo, qui non est Deus, quocumque tandem modo excellat, longè habet maiorem se humiliandi causam. Audi, quo modo & hîc se se possit demittere, & disce ab eo humilitatē, à quo iustitiam plurimi aliasque virtutes didicerunt. Est is Leonardus Lessius, de quo hæc relata legi. *No- uerat quidem Lessius in se doctrinam esse, & à Deo ac natura dotes, sed eas neq; estimabat ipse, neq; cum alijs componebat. Nemo tam erat exiguus à quo discere erubesceret. Logicae tirones vir ille rogauit, ut si quando eruditum aliquid, vel*

Kk

in

in doctrina, vel in pietate conciperent, secum illud, quò eorum institutione vel melior fieret, vel doctior, commune facerēt. Nonne inter paruos, quibus calum Christus astruit, Lesius censeatur oportet, qui maximus doctrinà cum esset, minimorum discipulum se faceret? Suam sententiam tanti non faciebat, ut non facile ad aliorum, longè etiam doctrinà inferiorum rationes, se, iudiciumq; flecteret. Arbitrabatur in alijs plus lucis, doctrina ac iudicij, quam in se esse. Adduci vix potuit, ut librum illum laudatissimum de iustitia & iure, pralo subiceret; quòd nihil à se magnum proficisci posse arbitraretur. Parua hæc, quam de doctrina sua conceperat, ex eo proveniebat opinio; quòd plura à se ignorari, quam sciri intelligeret; & quæ sciret, usque adeò confuse & imperfectè se scire, si cum beatorum sapientia componantur, ut iure bono, imperitus compellari posset. Solebat hisce ferè gradibus scientiam suam deprimere. Primò, suum omne scire, cum omnium mortalium in unum collecta scientia librabat; ad quam tantulum illud esse, quantulum ad vastum montem arenula, & guttula ad Oceanum, inueniebat. Exinde, immane illud humane scientie, Angelis opponebat, quorum etsi ij inferioris essent ordinis, tanta sapientie vis est & prestantia, ut pa-



ri intercapedine, omnem uniuersi generis hu-  
 mani scientiam excedant, quâ hominum om-  
 nium sapientia, singularis hominis scientiam an-  
 tecellit. Ascendebat preterea ad summorum sa-  
 pientiam Seraphinorum, qua simili intervallo  
 minorum Angelorum scientiam exsuperat. Ab  
 his, ad eos transibat spiritus, qui nec dum qui-  
 dem procreati, in diuina tamen potentia recon-  
 duntur. Ab istis denique, ad sapientissimi Nu-  
 minis inexplicabilem scientiam: è quo tandem sic  
 rationem ducebat. Si mea scientia, mortalium  
 omnium collata scientia, instar habet arenula;  
 quid habet composita Angelica? quid Seraphi-  
 ca? quid possibili creati? quid demum diuina? si  
 tota Angelorum sapientia scintilla quadam exi-  
 gua est infinita lucis; si artes omnes, & scientia,  
 tennes sunt adumbrationes suprema sapientia,  
 sine cuius irradiatione, omnia, in tenebris, &  
 ignorantia nocte, sepulta iacent; quid est, quòd  
 de scientia mea, qua adeò & sique exilis est, ut pro-  
 pè sit nihil, mihi ipsi blanditias faciam? quid est,  
 quòd ipsum me præ cæteris, tamquam amplius  
 aliquid intelligens, extollam; quasi magnum  
 sit inter complures rudes, minùs aliquantò ru-  
 dem esse, & inter luscòs rectiùs nonnihil videre?  
 quid est quòd exiliam animo, si unus aliquis mi-  
 nus à me in scientia habet, cùm etiam is, alio in

*genere me excedat, & innumeros alios, quàm  
in scientia, me ipso superiores reperiam?*

## §. XI.

*Omnes mortales posse fieri humiles, si se maiori-  
bus comparent.*

Hoc paradigma facilè potest transferri ad omnem aliam causam tumescendi. Placet tibi nimium de ieiunio? Antonios cogita, Paulos intuere. Eliam reuolue animo, Mosen ante oculos statue, Christum tibi propone. Nondum 40. diebus & noctibus ab omni cibo & potu abstinuisti. Ita de omni virtute potes ratiocinari: ita & de artibus, aut prudentia bellandi, vel imperandi. Bonus es miles? longè adhuc distas à Iulio Cæsare; longè ab Alexandro; longè ab Hectore aut Achille; longè à Iosua, aut Gedeone, aut Dauide. Bonus es Princeps? in memoriam reuoca itidem Dauidem, Moysen, Iosephum, Ludouicos, Henricos, Carolos Magnos, Constantinos Magnos, ipsos Angelos, qui hunc Mundum regunt, totasque à condito orbe conseruant regiones. O quanto te reperies ab illis distitum interuallo? An non igitur meritò, & cum veritate, te illis postpones? Quòd si igitur boni, & in rebus magnis laudeque dignis,  
rectè

rectè iudicant, cùm in se iudicant esse vilitatem; quid non malis, impijs, sceleratis, superbis, illis, qui iustitiam pro magnitudine munerum vanalem exponunt, & tantarum sunt iniuriarum fautores, erit faciendum? quas non habebant causas se vsque in infernum humiliandi? Habent sanè, sed rarò se humiliant, vt etiam hinc sint deteriores. Iam enim boni esse inciperent, si de se sentirent malè; quia verè sentirent. Sed veritas in illis non est; verum non vident. Odit ergo illos Deus, quia odit vanitatem; sicut amat humiles, quia amat in humilibus veritatem.

## §. XII.

*Quid etiam miraculorum patratores possit humiles facere?*

Enimuerò hic ipse inanis gloriæ metus in Sanctis quoq; humilitatem conseruat. Qua *Gregor.* de causa D. Gregorius ad Augustinum Anglorum Episcopum ita scribit: *Scio quia omnipotens Deus, per dilectionem tuam, in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Unde necesse est, vt de eodem dono caelesti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum anima, per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur:*

buntur: pertimescas verò, ne inter signa, qua fiunt, infirmus animus, in sui presumptione se eleuet; & unde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam, intus cadat. Addit idem alias duas causas, ob quas animi tumor, possit reprimi, etiam in illis qui miracula perpetrauerunt. Restat, inquit, ut, inter ea, qua operante Deo exterius facis, semper te interius subtiliter indices, ac subtiliter intelligas, & temetipsum, qui sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et, si quando Creatori nostro, seu per linguam, siue per opera reminisceris deliquisse, semper hac ad memoriam reuoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat: & quidquid de faciendis signis, acceperis, vel accepisti, hac non tibi, sed illis reputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt. Triplicem ergo humiliandi sui causam habent, qui miraculis effulgent. Prima est, metus ipse superbiendi, de quo paulò priùs. Altera est, quòd miraculorum potestas sit gratia gratis data, non ad sanctitatem patrantis augendam, sed ad utilitatem proximorum: unde etiam, qui non sunt sancti, subinde miracula possunt facere: ut de ipso Iuda proditore docent, qui eum,  
cum

eum ceteris Apostolis, aiunt dæmonia eie-  
cisse. Certè ex ipsis damnandis, quidam  
dicent, in illa die: *Domine, Domine, nonne in* Matth. 7.  
*nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo* 22.  
*dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes*  
*multas fecimus?* Quid prodest homini diui-  
tem esse in alios, pauperem sibi? immò, *quid* Matth. 16.  
*prodest homini, si vniuersum Mundum lucre-* 26.  
*tur, anima verò suæ detrimentum patiatur?*  
Sæpe quis alterum ad fidem Catholicam ad-  
ducit, & ipse fit hæreticus. Sæpe quis con-  
fessione, aut exhortatione colloquij suæ al-  
terum ad pœnitentiam, continentiam,  
æquitatem impellit, & ipse pœnitenda facit.  
Atque hæc est tertiâ causa, ob quam se se  
demittunt, qui magna, immò & qui mira-  
cula efficiunt. Sciunt enim, se non tantùm  
miracula, sed etiam peccata fecisse; eaque  
propter superbiendum non esse, eùm pec-  
catum sit ipsorum, miraculum Dei. Neque  
alij intumescunt, quando aliquid præclari  
præstant, scelerum suorum memores. Cur  
enim turgeant, si homini dederint rosam,  
qui Deo dederint alapam; aut, si non dede-  
rint, fortè adhuc daturi sint? Has ergo ob  
causas se meritò omnes, infra omnes depri-  
mere possunt, vt cunctis sint superiores, qui

S. Ambr. se se nullis anteponunt. *Nihil excelsius humi-*  
 lib. 7. sup. *litate*, ait S. Ambrosius, *qua quasi semper su-*  
 Luc. *perior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod*  
*infra se iudicat.*

## §. XIII.

*Recordatio peccati remedium est humilitatis.*

Volater. Volaterranus alijque referunt, multos  
 lib. 21. mortales bello captos, aut quia fides eorum  
 Sab. lib. 5. suspecta esset, ad pedes Friderici I. Imp. ex  
 En. 9. Po- Cisalpina Gallia in Germaniam redeuntis  
 lyd. lib. 7. supplices iacuisse, *albis vestibus* amictos, ve-  
 niamque petijisse in patriam abeundi. Qua  
 impetrata, postliminiò reuersi, voto, in  
 eo habitu perseuerasse dicuntur; lanificio &  
 orationibus dediti. Vnde *Humiliaterrũ Ordo*  
 nomen traxit, postea ab Innocentio III.  
 primùm, inde ab alijs Pontificibus confir-  
 matus. Hic Ordo, etsi postea alia passus,  
 interierit, spirituali tamen modo reuiuif-  
 cit. Nam omnes pij sanctiq; homines inde  
 sunt humiles, vnde humiliati. Memine-  
 runt quippe, se olim in captiuitate damo-  
 nis, Deoq; perfidos fuisse, & , in primis  
 Parentibus; præuaricatos, in Baptismo, in  
 Pœnitentiæ sacramento, supplices veniam  
 potestatemq; cælestis patriæ adeundæ con-  
 secutos. Quare, quidquid postea præclari  
 gerunt,

gerunt, non rapiunt in glorias inanes, neq; sibi de eo vanè complacent; quia semper recordantur, se esse peccatores. Frænum illis optimum est vanitatis, memoria delictorum: cùm etiam Epaminondas solitus aliàs prodire vnctus & fronte exporrectâ, postridie conflictûs cum Spartanis, ad Leuctra, quantumuis victor, sordidatus & vultu deiecto sit progressus, similem ob causam. Nam requirentibus, Num quid ei tristius accidisset? Nihil, inquebat, verùm heri animaduerti, maiores me, quàm decebat, animos gessisse. Quare nimiam animi effusionem hodie coerceo. Ad hunc modum vel miraculorum patratores cristas demittunt, cùm in memoriâ reuocant, se deliquisse. Neque supercilio rem dignam iudicant, si multa mala, quæ perpetrauerunt, aliquibus operibus bene gestis compensent. Sic à malis natum ex ipsa malorum compensatione periculum quodam modestiæ fræno cohibetur.

Plutarch.  
in Apoph.

§. XIV.

*S. Pauli exemplo, propria peccata, & aliorum virtutes esse ante oculos ponendas.*

Hinc profunda illa humilitas, & prorsus admiranda D. Pauli Apostoli nata est,

K k 5

vtiq;

vtiq; cum magna illius sanctitate coniuncta. Semper enim recordabatur eorum, quæ malè fecerat, immò ea palàm de se fa-

Tim. 1. 13. tebatur; neque ea leuia sanè. ait enim: *blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus:*

Gal. 1. 13. item *supra modum persequebar Ecclesiam Dei,*

Act. 22. 19. *& expugnabam: item, Cùm funderetur sanguis Stephani, ego adstabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illũ.*

Hæc memoriã voluebat, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Quando autem cum alijs conferebat se se, non imitatus Pharisæum ad factorum suorum iactationẽ, aliorumque contemptum, versus est; sed se inter peccatores primum, inter Sanctos vl-

3. Tim. 1. 15. timum collocauit: *Christus IESVS, inquit, venit in hunc mundum peccatores saluos*

1. Cor. 15. 9. *facere, quorum primus ego sum. Item: Ego*

Ephes. 3. 8. *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et alibi: Mibi omnium Sancto-*

*rum minimo data est hæc gratia, vbi per Sanctos intelligit omnes fideles, qui erant in Ecclesia. Igitur illud vas electionis, ille Doctor gentium, qui in oculis Dei vnus erat ex maximis Apostolis, immò etiam ex primis in sanctitate, ille orator, illa celestis*

*tuba,*



tuba, ille qui per excellentiam Apostolus appellatur, in suis oculis erat omnium fidelium postremus, & primus omnium peccatorum. Quo pacto sic, ô Apostole, de te potuisti iudicare? Nempe ea ars, immò virtus tua fuit, vt in tua cum reliquis comparatione, non aliorum peccata, sed virtutes aspiceres; tuarum autem virtutum immemor, peccata solùm tua, tibi ante oculos ponereres, eaque exaggerares, longè secus ac nos facere solemus;

*Qui non videmus mantica, quod in tergo est;*

in illam enim conijcimus nostros errores & delicta; si quid autem laude dignum à nobis factum existimamus, illud identidem animo volumus. Hinc intumescimus, hinc nostra magni facimus, & aliena parui pendimus, immò alios contemnimus, quia ad eorum virtutes cæci, & Tiresiæ, ad vitia oculi & Argi sumus. Nimirum lumen diuinum excludimus, quia, vt D. Bonauentura è S.

Gregorio animaduertit: *Unusquisq; dum tibi veri luminis illustratur, sibi ipsi ostenditur, vt unde cognoscit, quid est iustitia, inde eruditur; quid est culpa, qua excacatur. Vnde Sancti viri quò altiùs apud Deum virtutum digni-*

tate

S. Bonauent. e. I. soliloq.

tate proficiunt, eò subtiliùs indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quid quid eis in se ipsis latebat, inueniunt.

## §. XV.

*Quibus modis possit sibi, qui in aliqua re superior est, inferiorem pro superiore habere?*

Phil. 2, 3. *Est S. Paulus pugnancia videtur imponere nobis, dum ait: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes? Potèstne sine mendacio, vel certè sine falsitate fieri, vt duo in quacumque humilitate se se ipsos mutuò superiores sibi inuicem arbitrentur? Si è duobus vnus est superior, ergo alter erit inferior. Si inferior, ergo non superior. An non clarè magister videt, discipulum in doctrina esse inferiorem? Videt sanè, & euidenter quidem. Interim constanter monet Humilitas, vt nulli te præponas, sed omnibus potiùs postponas. Quo pacto hoc fieri potest, salua veritate? Tres sunt modi.*

S. Thom. 1. S. Thomas ait, humilem nec debere, nec  
2. 2. q. 161. posse iudicare, suam virtutem aut donum,  
2. 3. quod reuera maius à Deo accepit (v. g. apostolatum) esse minus eo, quod reuera minus alter accepit (v. g. dono linguarum) neque verò debere se in eo aestimare altero esse

esse inferiorem: sed in eo, quòd confide-  
rans ea, quæ habet à seipso; in proximo au-  
tem illa quæ habet à Deo. Hac enim ratio-  
ne meritò ac verè illum sibi præfert. Si-  
quidem dona, quæ alter à Deo habet, ma-  
iora sunt ijs, quæ quisque à seipso habet.  
Hæc est enim genuina indoles humilitatis;  
Nosse se ipsum, Intueri se ipsum, atque ea  
quæ quisque à seipso habet, suos nimirum  
errores, sua vitia & peccata: in alijs autem  
spectare eorum bona & dona, quæ à Deo  
profiscuntur. Quemadmodum & super-  
biæ ingenium est sua bona spectare, iacta-  
re, admirari; aliorum autè mala indagare,  
rimari, detestari. 2. Certum est, Mundi  
Gubernatorem, ita sua dona distribuere,  
vt nullum prætereat, sed cuique etiam vilif-  
simo homuncioni dotem aliquam conferat,  
in qua alios præcellat. Quod, vt in rebus  
naturalibus, ita etiam supernaturalibus  
contingit. In naturalibus enim alius visu,  
auditu alius; vnus ingenio, alter iudicio;  
hic eloquentia, ille sapientia & Philosophia;  
iterumq; quidam in medicina, quidam in  
iurisprudencia excellunt: itemq; hic cala-  
mo, ille penicillo, alius scalpro valet &c.  
Pari modo alij Sancti charitate, alij hu-  
manitate;

manitate;

S. Greg.  
hom. 10.  
in Ezech.

manitate; mansuetudine ac patientia alij, alij alia virtute eminent, suntque alijs superiores. *Miratur Paulus*, inquit D. Gregorius, *in Petro & Apostolis innocentiam cum ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: vicissim Petrus miratur in Paulo sapientiam, cum ait: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. Ad eundem modum, S. Athanasius scribit, S. Antonium, in vnoquoque fratrum ac sociorum illam, qua fulgebat, virtutem contemplatum, & in ea superari se videntem alteri tamquam superiori postposuisse, 3. Ait supra citatus D. Thomas: Verè indicamus, & estimamus, posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum. Assonat S. Augustinus: *Virgo ne se coniugata praeferat, cogitet occulta dona Dei, qua non nisi interrogatione tentationis etiam semetipsum cuique declarant. Unde enim prater alia scit Virgo, ne forte ob mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, coniugata verò sit? Unde, inquam scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, iam sit illa Crispina.* Et copiosius infra. Aliud est enim pro*

veritate

veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti, & ferienti. Latent ista in facultatibus, & viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Ut ergo quisque non inflatur ex eo, quod videt se posse, cogitet, forte alios posse aliquid, quod ipse non potest: ita servabitur non fallaci, sed veraci humilitate: honore mutuo praeuenientes, & alterutrum existimantes superiores sibi.

§. XVI.

Optimum humilitatis remedium NOSSE SE-  
IPSVM.

Nulli nos praeferemus, si de nobis ipsis, quod reuera sumus, sentiamus: utque ita nos ipsos noscentes sentiamus, Deus non solum voluit nos nobis de peccatis nostris (quibus scatemus, & maxime miseri sumus) notos esse, sed etiam in corpore naturam nobis fragilem dedit, quam vel ipsi Ethnici hominibus proposuerunt considerandam. Senecam audiamus: *Hoc iubet illa Pythicis oraculis ascripta vox: NOSCE TE. Quid est homo? quodlibet quassum & quodlibet fragile: iactatu, non tempestate magna, ut dissiperis, est opus. Ubicumque arietaueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, sua-*  
pte na-

Senec.  
consolat.  
ad Marc.  
cap. 11.

pte natura inerme, aliena opis indigens, ad om-  
 nem fortuna contumeliam proiectum: cum be-  
 ne lacertos exercuit, cuiuslibet ferè pabulum,  
 cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisq; contex-  
 tum, & lineamentis exterioribus nitidum, fri-  
 goris, aestus, laboris impatiens: ipso rursus situ,  
 & otio iterum in tabem, alimenta metuens sua,  
 quorum modò inopia, modò copia rumpitur:  
 anxie sollicitaq; tutela, precarij spiritus, & ma-  
 le harentis, quàm parum repentinum audiet, ex  
 improviso sonus auribus grauis excutit: soli sem-  
 per sibi nutrimentum vitiosum, & inutile. Mi-  
 ramur in hoc mortem vnius, qua singulis opus  
 est. Numquid enim ut concidat, res magni mo-  
 limenti est? Odor illi saporq;, & lassitudo, &  
 vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus vi-  
 uere non potest, mortifera sunt. Quocumq; se  
 mouet, infirmitatis sua statim conscium, non  
 omne calum ferens, aquarum nouitatibus, flatuq;  
 non familiaris aura, & tenuissimis causis atq;  
 offensionibus morbidum, putre, cassam, à fletu vi-  
 tam auspiciatum. Cum interim quantos tumul-  
 tus hoc tam contemptum animal mouet? in-  
 quantas cogitationes oblitum conditionis sue ve-  
 nit? Immortalia aeterna volutat animo, & in-  
 nepotes, pronepotesq; disponit: cum interim lon-  
 ga conantem eum mors opprimit: & hoc, quod  
 senectus

*magni humiliar possint ?*

529

*senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.*

Ita se Ethnicus de corpore aestimavit, quod, quia naturam communem omnes habemus, omnes facere par est. Quotquot autem faciunt, nulli se vel ob vires, vel ob formam, vel ob valetudinem, vel alias membrorum dotes anteponunt, non enim se aspiciunt, quales sint, sed quales esse possint: immò, quales futuri sint. Ad quod oculos conuer-

tens Ecclesiasticus ait: *Omnes homines*

*terra & cinis. Quid superbit terra*

*& cinis ?*

*Eccli. 17.*

*33. & 10. 9.*

Omnia ad maiorem DEI,  
DEI paræque glo-  
riam.

XXXXXXXXXX  
XXXXXXXXXX

LI

INDEX